DASMONIS ANDRIACI
P. A.
REDITUS IN URBEM
ET
PARTHENOPES DESIDERIUM
ECLOGA

HABITA IN NEMORE PARRHASIO AD JANICULUM
IV. ID. SEXTIL. AN. R. S. MDCCLVII.



ROMAE MDCCLVIII.

EX TYPOGRAPHIA PALLADIS
EXCUDEBANT N. ET M. PALEARINI
PUBLICA AUCTORITATE

Lector, si quae verba in hoc Poemate deprehenderis, quae Ethnicos ritus aut mores redolere quoquomodo videantur, ea pro poetico dumtaxat ornamento, phraſique Bucolica accipito.

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſſimo P. M. S. P. A.

F. M. de Rubeis Patriarch. Conſtantinop. Viceſg.

IMPRIMATUR.

Fr. Vincentius Elena Ord. Praed. Reverendiſſ. Pat. Mag. Sac. Pal. Apoſt. Soc.



VIRO AMPLISSIMO

MARCHIONI BERNARDO TANUCCIO

FELICISSIMI UTRIUSQ. SICILIAE REGIS
A SECRETIS JUSTITIAE ET GRATIAE
ET A PENITIORIBUS CONSILIIS

PETRUS ANTONIUS SERASSIUS

QVUM ante aliquot menſes conventus Arcadum apud Janiculum haberetur, cum multa praeſtantiſſima carmina recitata ſunt, tum vero Dafnonis Andriaci doctiſſimi atque eloquentiſſimi viri Ecloga

eſt audita ; quae , quoniam duarum maximarum Urbium comparationem veluti quandam inſtituebat , mirum eſt , quot de ſe plauſus in florentiſſima corona excitaverit . Ea res pleriſque , qui tunc fortaſſe non aderant , cupiditatem injecit legendi opuſculum , quod uno omnium conſenſu celebrabatur ; Auctoremque temperatam maxime hominem , ab omnique ſtrepitu admodum abhorrentem importunis flagitationibus laceſſebant . Quod cum viro occupatiſſimo non parum moleſtiae afferre animadverterem , pro veteri noſtra neceſſitudine rogavi , ut eam mihi Eclogam typis edendam concederet . Is vero , quamquam poeticam laudem abs ſe nunquam quaeſitam affirmaret (eſt enim ſummus Theologus , & Orator plane admirabilis) , timeretque , ne propter rei inſolentiam naſutulus aliquis hanc ſuam metri varietatem minime adprobaret ; nihil tamen mihi denegandum putavit : quum praeſertim Gherardum Voſſium emunctiſſimae naris Criticum ſuae ſententiae propugnatorem haberet . Neque vero quicquam haerendum mihi fuit, cui potiſſimum elegans hoc opuſculum dedicarem. Quum enim Neapolitani hominis carmen eſſet , in eoque & iſtius praeſtantiſſimi Regni , & Herculanenſium Antiquitatum laudes mirifice celebrarentur : profecto nonniſi clariſſimo tuo nomini , BERNARDE TANUCCI , *Vir maxime atque ampliſſime , erat inſcribendum ; qui ob ſummam praefecturam iſtius Regni procurationi incumbis , ob maximamque doctrinam & foves ſtudia optimarum artium , & pulcherrima iſta antiquitatis monumenta , doctorum hominum delectu habito , illuſtranda , in lucemque edenda curaſti . Illud enim ſingulari Dei beneficio florentiſſimo iſti Regno datum videmus : ut cum ſapientiſſimos Reges ſemper habuerit , tum etiam viri maximi atque literatiſſimi contigerint , qui Regibus in reipu-*

blicae

blicae procuratione, & in optimarum artium ſtudiis promovendis praeſto ſint. Conſtat enim, Antonium Panhormitam apud Alphonſum, & Jovianum Pontanum apud Ferdinandum Reges auctoritate & gratia plurimum floruiſſe. In quorum nunc locum Te, non minus ſapientia & rerum gerendarum dexteritate, quam doctrina & eruditione praeſtantem, ſucceſſiſſe vehementer gratulamur. Non enim caſu aliquo inſanientis fortunae, ſed integritatis, ingeniique opinione, & virtutum omnium ornamento quibuſdam quaſi gradibus ad iſtud dignitatis faſtigium adſcendiſti: tanto quidem cum doctorum omnium gaudio, ut nemo dubitaret, quin per Te aureum Auguſti ſeculum, & beatiſſima illa Alphonſi regis aetas eſſet reditura. Quae quidem eos minime ſefellit opinio. Ex quo enim iſthic ſummo apud Regem potentiſſimum loco conſediſti, longe extemplo alia literarum facies viſa eſt, non ut pridem illa quidem incultior atque horridior (utar enim viri longe doctiſſimi atque integerrimi de Te verbis) ſed nitens, & multo quam unquam alias liberalior. Ea namque eſt iſtius coeli natura, ut ingenia cum omni diſciplinarum generi accomodata, tum poeticae facultati multo aptiſſima efficiat: quae ſi magni alicujus viri auctoritate, & beneficentia foveantur, admirabile dictu eſt, quouſque ingenito quodam acumine & celeritate procedant. Habuit quidem iſta Natio Poetas omni aetate praeſtantiſſimos: Bucolici tamen Carminis gloria Siculorum & Neapolitanorum hominum fere propria fuit. Nam & Theocrytum Syracuſanum primum ejuſmodi Carminis auctorem perhibent: & Jacobus Sannazarius, Berardinus Rota, aliique complures ita condendis Eclogis excelluerunt; ut mortalibus ceteris ſpem eos ſuperandi omnino eripuerint. Ad quorum etiam laudem proxime acceſſiſſe

Daſmonem Andriacum, communis ferme noſtratum opinio eſt. Cum itaque tot, tantiſque nominibus hoc Tibi Poema debeatur, vehementer abs Te peto, uti conſilium meum aequi bonique conſulas, & qua maxime praeſtas humanitate hoc qualecunque obſequentiſſimi animi argumentum accipias. Interim Deum Opt. Max. precabor, ut Te bono publico, optimarumque artium ornamento ſoſpitem, atque incolumem diutiſſime ſervet.

Romae XIII. *Cal. Martias* MDCCLVIII.



DASMONIS ANDRIACI P. A.

ECLOGA

Dasmon, Riviscus

ECCE iterum Arcadiae ſylvas, tacitoſque receſſus
Parrhaſii, doctis habitataque prata Camoenis,
Alphaeique undas, & Panos templa reviſo.
Salvete Arcadicis praeſentia numina campis,
Salvete o noſtris optata mapalia votis:
Tuque o dulce ſolum, ſacris memorabile Vatum
Carminibus, divum ſedes placidiſſima, ſalve.
Seu maris Hadriaei, ſeu me Sebethidos undae,
Seu Prochyte, Inarimeque, aut Pauſylipi ora tenerent,
Sole ſub ardenti, per amica ſilentia noctis;
Seu ſolus colles inter, lituſque vagarer,
Seu caris item circumſtipatus amicis,
Pectore te ſemper, te ſemper in ore, mearum
Curarum, & ſtudii lenimen dulce ferebam.
Sed qui feſtine mihi fit nunc obvius? oh en
Riviſcus, Paſtor ſatis eſt mihi cognitus iſte

Ex habitu, inceſſu, & vitro, quo cuncta tuetur.
O nimium dilecte mihi, dilecte Camoenis,
Parrhaſiique decus, paſtor dulciſſime, ſalve.

RIV. Numina te, Daſmon, fortunent, teque ſecundent:
Expectatus ades nobis, Myraeus & omnis
Te Arcadiae vates deſiderat. ecce reſulſit
Lux, qua Parrhaſiae reſerantur limina ſylvae,
Ac tua Myraeus depoſcit carmina, & uſque ad
Flagitium, ravimque petit: per numina, Daſmon,
Irrequietus ait, per olympica numina, nondum
Et patriae fines, & dulcia rura reliquit.
Hem quid agam? Arcadicum qui poſſim indicere coetum?
Illum ego ... ſed motam praeſtat componere bilem.
Haec ait, inceditque illi calor igneus ora.

DAS. Ob valeat Cuſtos: iraſcitur at ſine felle,
Nam ſuperat placidas animi candore columbas.
Praeteriere dies, iſtas cum laetus ad umbras,
Arcadia dignum modularer arundine carmen
Nunc me pertaeſum Muſas, curiſque gravatum,
Atque iter emenſum qua qua patet Itala tellus,
Expertumque diu maleſano in corpore vires
Otia blanda juvant: haec dat mihi ſola ſuorum
Parthenope vatum mater ſtudioſa, ubi Neſis,
Bajarumque ſinus, vitreae Crateris & undae,
Et ſcopuli, Miſene, tui, colleſque Dicarchi.
O ubi Pauſylipus, Megareque, & Olympia tractu
Producta immenſo! o ubi candida Mergelline!
O quis Synceri ad manes, maneſque Maronis
Me ſiſtat? forte hic ubi ſpirant molliter aurae,
Muſcus ubi gratum de cautibus halat odorem,
Mixta hederis myrtus veſtit pallentibus antra,
Roſcidus eque cavis diſtillat rupibus humor,
Criſpanturque levi ſcopuloſi murmure fluctus,
Dum cymba incipiunt celeres curſare per undas,

Dum

Dum pueri tentant delphina laceſſere curſu,
Dum rauca ardenti reſonat ſub ſole cicada,
Longe ego pulſarem reſonantibus aequora conchis,
Et canerem vatum divino percitus oeſtro,
Alta tropaea ducum, horrendi fera praelia Martis,
Jurgia paſtorum, piſcatorumque querelas.
O quis Leucopetrae ad ſcopulos, oramque Retinae
Omnibus expertem curis me ſiſtat, & urbis
Rudera ad Herculeae, modo quam REX providus arte
Detegit, atque, ipſo multum indignante Veſevo,
Eripit e foedis poſt ſecula longa ruinis!
Oh quae conſpicerem! proh quot monumenta Quiritum
Sacra vetuſtati! Scrutarer quod vetus aetas
Obruerat tenebris, in apricum ſed modo profert
Noſtra, jubens ſerum vitam producere in aevum
Auſpice BORBONIO. Quis enim haud miretur equeſtre
Artis opus veteris ſimulacrum nobile, MARCO
QUOD NONIO BALBO HERCULEI CIVES POSUERE?
Forte ego detegerem ſcrutator temporis acti,
Quae mutilata notant ſapientum marmora, quorum
Effigies, quae tot conroſa rubigine multa,
Sparſa vireſcenti & molli lanugine circum,
Antiquo perhibent percuſſa numiſmata praelo.
Forte ego detegerem ſinuoſa theatra, figuras
Heroum, Divumque Idaeo in marmore ſculptas,
Fuſa Corinthiacis dudum ſimulachra metallis,
Invida quae petiit dente aurea ſigna vetuſtas.
Vaſcula, ſiſtra, aras, tripodas, muſiva, columnas,
Votivas tabulas, cultros, cippoſque, lucernas,
Et ſexcenta operis rara inſtrumenta vetuſti,
Divorum ſacris, atque uſibus apta profanis;
Carmine complecti quorum ſi ſingula vellem,
» Ante diem ſero componet veſper olympo.
Quod mage mirandum, mihi viſere forte darentur
Artis Apellaeae monumenta in pariete picta,
Quae mire perhibent vario ſplendore colorum

 Tem-

Templa, aedes, fructus, flores, arbuſta, volucres,
Heroas, Satyros, Centauros, Numina, Nymphas,
Multiplices Genios, praeclara & geſta Deorum,
Et mendax olim quae finxit Graecia, quaeque
Geſſerunt fortes magna cum laude Quirites.
Tum quae Grajugenum referunt oracla ſophorum,
Undique deterſo ſenio turpante replictas
Scrutarer veteres, attenta mente, papyros
Quid memorem, ut majora auſus, magnumque Tanucci
Ingreſſus penetrale. Vir o, quem CAROLUS unum
Conſilio (farer) meritis, virtute potentem
Adſcivitque ſibi Juris, Regnique Miniſtrum,
Italiae decus o, cui credidit eruta ſaxis
Tot ſigna Herculeis Rex invictiſſimus, auras
Ut doctis videat per Te memorabile chartis
Quidquid Romanum, Graecum quodcumque retectum
Uſque adeo ignotis latitat, caeciſque tenebris.
O age jam votis communibus annue, curis
Dum vacuus, rogo Te feſtines edere magnum
Quod meditaris opus: ſapientum publica Res Te
Laudabit, nomenque tuum ſuper aethera tollet
Urbs ipſa Herculea, ipſa ~~etiam ſimulacra~~, columnae,
Marmoraque, & tabulae, monumentaque cetera Grajum,
Et Romanorum, rapido quae Vesbius olim
Igne abſorbuerat, per Te nunc reddita luci,
Undique, cum priſcae renovant miracula formae,
Te vitae auctorem, rapiunt quam ſecula, dicunt.
Quid multis paſtor? Regis Muſaea viderem
Splendida, & illuſtrem tot ſignis Pinacothecam;
Tum Pario incidi curarem haec carmina ſaxo:
„ Regia Borbonii mens traxit ab igne Veſevi.
„ Atque heic Herculeae monumentum condidit Urbis.
Pulchra o Parthenope? o ſedes gratiſſima Muſis!
O nunquam ſine fruge ſolum Campania felix!
O noſtrae regionis opes? o Antiniani
Frugifera colles, villaeque, o florida rura!

Felix

Felix qui ſtudiis valeat, curiſque ſolutus
Ducere vos circum tranquilla per otia vitam

RIV. O ſileas precor, ipſe atra nam bile tumeſco.
Sola ne Parthenope, ſolus tibi ſemper in ore
Pauſylipus, Megareque, & candida Mergelline?
Non ultra patiar, jactat quoque Roma vetuſti
Delicias Latii, & veterum monumenta Quiritum:
Undique ſparſa jacent per compita, perque potentum
Atria, & innumeros cernuntur ſparſa per hortos
Nos quoque felicem tranquilla per otia vitam
Ducimus, atque inter ſylvas, per florea rura
Laeta ſitu aprico, & pulchris ſpatioſa viretis
Erramus laeti, & coelô gaudemus amaeno.
Ergo age ne doleas, rerum dulciſſime, felix
Vivere & hic etiam poteris, dicique beatus.
Sed quid opus multis? paſcunt dum prata capellae,
Dum Leo Parthaſius inſultans aeſtifer agris
Omnia comburit, campos, armenta, colonos,
Hic ubi flant molles aurae, qua ſylva vireſcit,
Qua ludunt Zephirorum inter myrteta ſuſurri;
Hic ubi ſacra Jovi quercus, gratiſſima Phaebo
Et laurus patulis texunt umbracula ramis,
Paulliſper dulci mecum requieſce ſub umbra,
Et ſimul agreſti meditemur arundine verſus.

DAS. Ergo age, ſi placeat, modulemur arundine carmen.
Cantibus at quae materies? nova carmina, paſtor,
Experiare precor, conſueta & lege relicta,
Si quid Bucolicis conceſſum invertere Muſis,
Non prius audito alternemur carmina metro.

RIV Haud renuo: nova ſaepe placent; licet obſtet & uſus,
Et lex impediat, ſi laudent Arcades, uſus
In legem paulatim ierit, lex priſca ſilebit.
Tu Romam Daſmon ne dedigneris avena
Tollere, Parthenopes ego perſequar ordine laudes.

DAS.

Das. Numen adeſt, date plectra manu, date laurea fronti;
Ad cytharam properant carmina, Numen adeſt.
O Roma, auguſtum, ſacrum, venerabile nomen,
Si te homines ponunt, non poſuere Dii,
Id tua laus potior nil mirum numina tantum
Poſſe, ſed eſt mirum talia poſſe homines.
Adde quod urbs quaevis manibus fabricata Deorum
Corruit, imperio aſt Roma perennis eris.
Magna ſonaturum o quibus eſt os, grandior & mens,
Arcades o urbi plaudite Romulidum.

Riv. Numen adeſt, date plectra manu, date laurea fronti;
Ad cytharam properant carmina, numen adeſt
Parthenope excellum, magnum, memorabile nomen,
Si te Italo ponunt littore Grajugenae,
Non te paeniteat, duplici quin ſorte beata
Egregium poteris tollere ad aſtra caput.
Nam decora Italiae, nam quidquid Graecia jactat
Sola tenes, armis inclyta, & ingeniis.
Magna ſonaturum o quibus eſt os, grandior & mens,
Arcades o Urbi plaudite Parthenopes.

Das. Urbs o Romulidum ſplendida perpete
Divum praeſidio, atque omine dextero
Felix prae reliquis urbibus, inclyta
Heroum genitrix, o age Martia
Quid ceſſas? galea te exue, & horridam
Haſtam fulminea projice dextera;
Major nam veteri te inſuperabilis
Nunc cultu decorat gloria fulgido,
Et clara auſpiciis nunc melioribus
Effulges titulis ſplendidior novis.
Olim jam domitis undique gentibus,
Si victrix aquilas, ſignaque bellica
Duxiſti, imperii & ſceptra potentia
Trans Indos, Arabes, & mare Creticum:

En

En nunc Religio vi ſine Martia
Armorum, populos, regnaque ſubdidit;
Et ſedes Fidei, atque aetheris arbitra
Delecta, innumeris gentibus imperas,
Tellus facta tuo eſt ſubdita numini.
O quae nunc colitis Maenala, Najades,
Urbi Romulidum plaudite canticis.

Riv. Urbs o Parthenopes ſplendida perpete
Coeli praeſidio, atque omine dextero
Felix prae reliquis urbibus, inclyta
Heroum genitrix, o age, munera
Quid ceſſas? Charitum, quae gremio tegis,
Jacta fertilium florida collium,
Jacta nobilium fervida fontium
Dona, & ſulphureas exſere montium
Frontes, flammivomi & culmina Veſbii;
Effer laetitiae ſigna noviſſima:
Naturae omnigeno condita munere
Olim ſi locuples, urbs memorabilis,
O inter reliquas usbs celeberrima,
Spargebas radios undique gloriae;
En nunc egregiis ſtrenua te ſuis
Inventrix operum prodigiis novis
Ars mire decorat: jam gemino nites
Artis praeſidio, praeſidio ſimul
Naturae, & merito diceris urbs nova.
O quae nunc colitis Maenala, Najades,
Urbi Parthenopes plaudite canticis.

Das Necte nunc ſparſis violis coronas
Et roſis albis, tulipiſque rubris,
Ac tua aeterna, Tyberis, revince
Tempora lauro.

Huc ades laetus Dryadum frequenter

Te

Te juvat pulchris choreis adeſſe,
Te frequens vatum celebrat canoro
Turba cothurno.

Riv. Texe nunc caltha viridi coronas,
Et croco flavo, caſiaque molli,
Ac tua, o Sebethe, ſacra revince
Tempora myrto.

Huc ades laetus, reſonis Camoenae
Te canunt noſtrae numeris, tuumque
Splendidum dulci ſuper aſtra nomen
Carmine tollunt.

Das. Carmine tollunt
Nobiliore
Facta tuorum,
Roma, Parentum,
Quem generoſus
Vellerat olim
Non ſine Cocles
Impete, pontem;
Quamque potenter
Mutius uſſit
Scaevola dextram;
Quaſque virago
Claelia navit,
Tybridis undas,
Carmine tollunt
Nobiliore.
Forte Metelli
Pectus, & acrem
Mentem, animumque
Illius, olim
Qui ſine pugna
Reſtituit rem;

Jura

Jura Catonis,
Et referentem
Signa Camillum,
Scipiadaſque
Fulmina belli,
Fractaque nunquam
Caeſaris arma,
Qui celebrato
Nomine totum
Terruit orbem;
Denique Petri
Geſta, thronumque,
Dogmata, leges;
Atque triumphos
Religionis,
Nobiliore
Carmine tollunt.

Riv. Carmine tollunt
Nobiliore
Parthenopaeos
Undique vates.
Altiſonantis
Plectra Maronis,
Et quod amica
Uſque vireſcens
Laurus inumbrat,
Grande ſepulchrum;
Barbiton Acti,
Qui memorando
Aequora, terras,
Nomine complet,
Carmine tollunt
Nobiliore.
Quique canebat
Percitus oeſtro
Non perituro

Sydera

Sydera plectro;
Quique tot unus
Protulit, arte
Doctus in omni
Carmina, Taſſum;
Quique Poeſim
Vertere viſus
Illecebroſo
Ore, Marinum;
Papiniumque,
Parteniumque, &
Qui canit omnes
Strenuus herbas;
Denique Petri
Qui lacrymarum
Concinit imbres,
Ante prophani
Cantor amoris,
Nobiliore
Carmine tollunt.

DAS. Quam bene! dulce ſonant variis haec condita metris
Bucolica; Arcadico forſan plaudente theatro,
Tempus erit, quo nos Cuſtode ſinente canemus.

RIV. Dj faxint, Daſmon, placeant haec metra, refertum
Scilicet hoc ſeclum rigidis cenſoribus, audent
Qui damnare vetus quidquid non ſapit aevum.
Interea ut releves incommoda magna viarum,
Haec modo, quae prope ſunt, poteris mea tecta ſubire.

DAS. Dic quod habes, noſtra ut releves incommoda? lymphae
Sunt ne tibi gelidae gratiſſima pocula? ſeu quae
Saccharo, & ex cedri ſucco cum najade, preſſo
Quae lacte aut fiunt, nimium ſorbilia palato
Dulcia? namque iſtaec glacie conſtricta nivali
Oblectant, recreantque animum, cum Syrius ardet.
Haec mihi da, meliuſque canam poſt pocula verſus.

FINIS